



# Præfatio ad Lectorem,

Cui S. P. D. Author.

**I**N vestibulo hujus Tractatuli, de legitimo Planisphærii istius stellati usu, non possum, quin pauca de eiusdem ortu seu incunabulis, progressu & incremento, scopo & instituti ratione, curque in vulgus jam editam, præloquar, Lectoremque candidum & benevolum de istis erudiam, invidum contra, & malevolum, nimisque doctum confundam.

Primum igitur quod attinet, omnibus (opinor) in confesso & concesso erit, quòd velut astrorum contemplatio & cognitio, laudabili Summatum, aliorumque præclarissimorum Virorum exemplo atq; testimonio, omnes omnino homines, quibus arreptos ad sidera vultus attollere dedit Deus, maximè tamen Literatos deceat: ita inter hos Astronomiæ nomen professis, gemina ignominia non parva labe aspergatur, si stellas, de quibus in chartâ pictis, earumque motu multa narrare queunt, in ipso cælo digno-